



**F**Ridericus ex nobili familia Keppenbachiorū  
 in Brisgaudia natus, & honestè educatus fuit.  
 Is cum literarum fundamēta iecisset, ordinem Be-  
 nedictinorum suscepit, atq; monasterium celebre  
 Gengenbach intrauit. Monasterium illud funda-  
 tum erat anno circiter 900 in oppido Gengenba-  
 cense, ut nobilium pueri ibidem in studijs institue-  
 rentur, atq; Deum pijs precationibus & cantioni-  
 bus laudarēt. Tum etiam Rusterno primus abbas  
 designatus, & multis priuilegijs exornatus fuit. In  
 eo loco cū Fridericus modestè uiueret, anno 1540  
 omnium uotis 45 abbas eligitur. Itaq; eam functio-  
 nem is suscepit, atq; scholā monasterij per aliquot

secula clausam denuo aperuit, & iuuentutem in bonis literis educandam do-  
 cto præceptorī commendauit. Cum etiam antecessorum negligentia mona-  
 sterij bona dilapidata essent, ipse eadem sua frugalitate restituit, et eum locum  
 multis edificijs restaurauit. Huius abbatis tempore bellum Smalkaldicū exor-  
 tum, in eò à Fürstenbergico comite captus, atq; mox suapte uirtute liberatus  
 fuit. Construxit Fridericus duo memorabilia sacella: unum S. Iacobi in Castel-  
 bergo, ubi antiquitus monalium monasterium situm fuit. Alterum uerò in ual-  
 le Ethnicorum S. Michaëli dicatum. Cum hoc modo per quindecim annos  
 feliciter præfuisset, anno 1555 obiit, & in eius monasterij templo honorificè se-  
 pultus fuit. Anon.